



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. De objecto scientiæ generatim.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

PHILOSOPHIÆ PERIPATETICÆ
LIBER QVARTVS:
PRIMA PHILOSOPHIA,
SEV METAPHYSICA.

Ad libros Aristotelis Metaphysicos.

P R O L O G V S.



Hæc est, ut præmissi, scientiarum omnium naturalium princeps, Philosophiæ totius animæ & coronæ, humanæ mentis pabulum longè incondissimum, quæ cum Dialecticis, Physiologicis, Ethicisque contemplationibus læta sibi possit videri: in Metaphysicis sanè cognitionibus tanquam in felicitate vltima naturali, beata omnino & quæta est. Ideò Philosophus quatuordecim Metaphysicæ suæ libros his verbis exorsus est: *Omnis homo naturaliter scire desiderat.* Tanquam explicare aggrediatur ea, in quorum inquisitione laborare non natura voluit, in possessione autem suauissimè conquirere.

Illam ergo scientiam tam remotam à sensibus, tam necessariam, tam obscuram ut explanem clarissimè, quatuor disputationibus omnia complector, quæ desiderari possunt in ea. Prima erit veluti procemialis, de proprio charactere tum scientiæ in genere, tum huius scientiæ. Secunda de quidditate ac proprio conceptu entis & essentiae realis. Tertia de proprietatibus vniuersalissimis ac transcendentalibus ipsius entis realis, vnitatis, veritatis, bonitatis. Quarta de variis entis diuisionibus, præsertim verò de celeberrima diuisione in decem categorias. Quæ omnia, ut patet, ut sunt abstractissima, & à commercio sensuum seiuncta, sic difficillima sunt, & homine Philosopho dignissima.

DISPUTATIO I.

Procemialis.

*Character proprius scientiæ
Metaphysicæ.*

Nomina
Metaphysicæ.



VATVOR apud Philosophum inuenio scientiæ istius nomina. Primò enim appellat eam sapientiam, 1. *Metaphysica*, cap. 2. eo quod de primis rerum causis, & de supremis, nobilissimis, difficillimisque rebus disputat. Secundò vocat eam absolutè Philosophiam, 4. *Metaphysica*, textu 5. & primam Philosophiam, 6. *Metaphysica*, textu 3. quia excellentissima est pars Philosophiæ, & ad alias omnes partes adeò necessaria, ut tota quodammodo videri possit Philosophia. Tertiò *eodem lib. 6.* vocatur Theologia naturalis, eo quod agat de Deo. Quartò denique Metaphysicam nuncupat, libros quatuordecim inscribens de iis quæ sunt post, vel potiùs ultra & supra Physicam; quia posterius inuenta est quàm Physica, & longè illam superat, transcenditque, altius assurgens, dum abstractas ab omni materia rerum cognoscit proprietates.

A Eius ergo proprium ut exhibeam characterem, primùm explico naturam & proprietates scientiæ generatim; secundò naturam & proprietates scientiæ Metaphysicæ.

QVÆSTIO I.

*De natura & proprietatibus scientiæ
in genere.*

NON possum commodius vestibulum statuere, per quod in Philosophiam introducere liceat amatorem eius, quàm scientiam ipsam generatim sumptam delineando, & iustissimis proponendo descriptam proprietatibus: quod ut exequar, primò dicendum est de obiecto scientiæ in genere: secundò de proprio actu scientiæ: tertio de illius habitu, tum absolutè, ut est in se; tum respectiue, prout comparatur cum aliis habitibus intellectus.

SECTIO I.

De obiecto scientiæ generatim.

EX obiecto potissimum statui debet de quidditate cuiuslibet habitus. De hoc ergo crita scitu digna

Quæst. I. Sect. I. de Obiecto scientiæ. 607

digna sunt, vt cognosci possit quidditas scientiæ. Primò quid, ex quoduplex sit obiectum cuiuslibet scientiæ: secundò quale illud sit, & vnde dignosci possit: tertio an & quomodo per illud specificetur qualibet scientia.

S. I.

Quid & quoduplex sit obiectum scientiæ.

Obiectum quid sit.

Certum est primò, obiectum scientiæ cuiuslibet appellari id circa quod occupatur scientia per suos actus. Ratio est, quia obiectum scientiæ idem appellatur, quia obicitur scientiæ: sed id circa quod scientia occupatur per suos actus, obicitur scientiæ, vt se in illo exerceat: est enim id quod scitur: ergo illud dicitur obiectum scientiæ circa quod occupatur scientia per suos actus; id est id quod per illam scitur. Obiectum scientiæ Physicæ v. g. corpus est naturale, quia per Physicam scitur: actus videlicet omnes elicitur à Physica occupantur circa corpus naturale, sicut actus omnes Medicinæ occupantur circa corpus sanabile.

Quoduplex obiectum.

Certum est secundò, duplex esse obiectum cuiuslibet scientiæ, aliud materiale, aliud formale. Materiale res ipsa est, quæ consideratur per aliquam scientiam: formale est ratio secundum quam consideratur. Vel etiam materiale illud est, quod attingitur propter aliud, non propter se primò: formale quod attingitur propter seipsum, & alia propter ipsum, sicut in oculo corpus est obiectum materiale, color obiectum formale, quia corpus videtur propter colorem, qui propterea est obiectum formale. Ratio est, quia sicut in corpore, quod constat materiâ & formâ, illa est pars materialis, quæ communis potest esse pluribus, & est indifferens ad corpora specie diuersa; pars formalis illa, quæ ipsam determinat ad certam speciem corporis: ita in obiecto illa est pars materialis, quæ indifferens est ad diuersas scientias, ad quas potest pertinere; pars autem formalis ea est, quæ illam determinat ad vnâ certam scientiam. Vnde argumentor. Pars determinabilis obiecti est pars materialis; determinatiua est pars formalis: sed id quod cognoscitur propter aliud, est pars determinabilis; quod autem cognoscitur propter se primò, est pars determinatiua: ergo quod cognoscitur propter aliud est pars materialis, quod cognoscitur propter se, est pars formalis. Cognoscibilitas obiecti est verum obiectum formale, quia licet non cognoscatur vt quod, cognoscitur tamen vt quo, cum sit ratio ipsa cognoscendi.

Triplex obiectum formale.

Rursus autem obiectum formale triplex in scientia qualibet distingui solet; ratio formalis quæ, ratio formalis qua, & ratio formalis sub qua. Ratio formalis quæ, vocatur ratio cognita, & obiectum terminatiuum, estque id ex obiecto materiali, quod cognoscitur, seu prædicatum conclusionis demonstratiuæ. Ratio formalis qua, vel vt loquuntur alij, propter quam, vocatur ratio motiua, estque motiuium potentiam determinans ad talem speciem assensus, seu cognoscibilitatem obiecti, vel medius terminus. Ratio formalis sub qua, est conditio aliqua requisita ex parte obiecti, sine qua non potest terminare actum potentie vel habitus; & illa est in scientiis triplex abstractio, vt constabit ex sequentibus.

Obiectum adequatum & attributionis.

Certum est tertio, obiectum scientiæ aliud esse adequatum, aliud inadequatum. Adequatum illud est, quod continet omnia, quæ in tali scien-

tia tractantur. Id est illud, quod in tota scientia sic consideratur, vt quæcunque in ea per se tractantur, sint vel partes, vel causæ, vel attributa illius, vel certe dicant ad illud habitudinem. Vnde illud etiam vocatur obiectum attributionis, ad quod scilicet ita renocantur omnia, quæ in aliqua scientia traduntur, vt non considerentur, nisi quia ad illud renocantur. Vnde ad huiusmodi obiectum duo requiruntur: primò vt eius cognitio primò & per se intendatur, & non ad manifestationem alterius obiecti: secundò vt quæcunque tractantur in tali habitu, dicant habitudinem aliquam ad tale obiectum: eo modo Deus est obiectum attributionis Theologiæ, & obiectum eius adequatum; non enim differunt duo hæc obiecta, quidquid in oppositum dicant quidam Recentiores: obiectum videlicet adequatum est illud, quod totam scientiam adequat, seu quod non exceditur à scientia: sed illud obiectum in ordine ad quod omnia sic tractantur, vt non tractentur nisi per ordinem quem ad illud dicunt, adequat scientiam, & est obiectum attributionis: ergo illud est obiectum adequatum. Aliquando tamen obiectum attributionis vocatur illud, quod est præstantius, & cuius cognitio præcipue intenditur; soletque vocari obiectum primum, seu principalitatis; quia est nobilissima pars obiecti adequati, à quo etiam differt; sic enim Deus est obiectum attributionis Metaphysicæ, & homo est obiectum Physicæ. Differt igitur obiectum adequatum ab obiecto primario, quod omnia quæ tractantur in scientia, dicunt ordinem ad obiectum adequatum, neque tractentur nisi quatenus dicunt talem ordinem. Ad obiectum autem primum, quamuis aliquem dicant ordinem, considerentur tamen sine ordine ad illud. Physica tractat de priuatione, quæ nec est pars, nec causa, nec proprietas corporis naturalis: & Metaphysica tractat de ente rationis, quod etiam non est pars aut proprietas entis realis, quod est obiectum adequatum Metaphysicæ: sed ea quæ tractantur per se, dicunt talem ordinem ad obiectum adequatum; quæ verò tractantur solum per accedens, non dicunt talem ordinem, ita vt sint partes, aut causæ, aut proprietates obiecti adequati; sed aliquam solum dicunt habitudinem. Priuatio v. g. principium est generationis substantialis, & ens rationis oppositionem habet cum ente reali.

Instantia.

S. II.

Quale sit obiectum adequatum scientiæ, & quomodo illud dignoscatur.

Dixi vniversim, quid & quoduplex sit obiectum cuiuslibet scientiæ, nunc quæti pressius debet, quid esse debeat in obiecto, seu quales condiciones habere debeat obiectum, vt de illo habeatur scientia, quæ definitur, *Cognitio certa & euidens rei aliquid per medium necessario connexum.* Quæritur, inquam, cuiusmodi esse illa res debebat, vt haberi de illa possit cognitio illa certa & euidens: dicitur enim communiter, illam esse debere realem, per se, vniuersalem, æternam & incorruptibilem.

Ratio tamen dubitandi esse primò potest, quia de non ente certò & euidenter multa cognosci possunt, v. g. quod non sit causa entis positui, quod proprietates non habet reales, quod non sit cognoscibile nisi secundariò, quod non sit existens: imò in Logica & Metaphysica multa dis-

Quoduplex dubitatio.

E E e 4

putantur

putantur de ente rationis : ergo obiectum scientiæ non est necessariò ens reale.

Secundò de ente quoque per accidens datur scientia ; nam politica scientia est , eius obiectum est Respublica , quæ verum est ens per accidens : similiter numerus est ens per accidens , de quo datur scientia Arithmetica . Denique ens per accidens habet veras proprietates , vt quod constet ex multis essentiis : ergo illud sciri potest .

Tertiò de singularibus multa possunt demonstrari ; nam de Petro demonstrari potest rationalitas , quia est risibilis , & contrà . Deinde singularitas non minùs habet proprietates reales quàm natura specifica ; est enim incommunicabilis v. g. ergo non est minùs scibilis quàm natura specifica . Denique cognitio intuitiua est vera scientia , & tamen illa est de singularibus .

Quartò de rebus corruptibilibus datur scientia ; physica enim tota est de corporibus corruptibilibus .

Quintò illud obiectum debet esse aliquo modo vnum : sed nulla scientia est quæ non habeat plura obiecta , etiã formalia ; physica enim versatur circa plura corpora , & plures naturas ; logica circa plures operationes mentis , & plures earum rectitudines : ergo frustra cuiuslibet scientiæ vnum assignatur obiectum adequatum .

Conclusio
quinque-
partita.

Est reale.

Dico primò , cuiuslibet scientiæ perfectæ obiectum adequatum esse necessariò reale , ens per se , vniuersale , incorruptibile , ac æternum , & aliquo modo vnum .

Primò enim quod nulla dari possit perfecta scientia de non ente rationis , ostenditur 4. & 11. *Metaphys. cap. 1.* Ratio est , quia perfectæ scientiæ obiectum habere debet causas & proprietates reales ; perfecta enim scientia rem cognoscit per causam ; non ens , & ens rationis nullas habent causas necessarias aut proprietates reales : ergo de illis perfecta non habetur scientia . Deinde sicut intelligibilitas est proprietas entis realis ; ita & scibilitas . Ad summum ergo de ente rationis datur scientia quædam imperfecta , & secundaria per reductionem ad ens reale ; quæ scientia significat cognitionem euidentem discursiuam ; sic enim de ente rationis multa considerantur in *Metaphysica* ; scitur etiã quod non sit existens à parte rei , quod non habeat reales proprietates .

Est ens per
se.

Secundò quod huiusmodi obiectum sit ens per se , ita vt de ente per accidens propriè dicto , seu quod nullam habet vnitatem ordinis , sed partes tantum fortuitò aggregatas , non detur vlla scientia , Philosophi omnes asserunt , quia ens huiusmodi non habet vllas reales proprietates necessarias ; cum enim ens per accidens illud sit , quod plures habet essentias completas , tripliciter potest considerari . Primò reduplicatiuè prout est ens per accidens : secundò prout habet plures essentias cum quadam vnitatem ordinis , vt Respublica , quæ dirigitur ad commodum humanæ societatis : tertiò prout habet plures essentias fortuitò aggregatas . De ente per accidens in prima & secunda acceptione dari sine dubio potest scientia ; nam Politica & Arithmetica scientiæ sunt : illa de Respublica , ista de numeris . In tertia verò acceptione patet quod nihil certò sciri possit de illo , cum certum in eo & necessarium nihil omnino sit .

Vniuersale.

Tertiò de singulari purè creato scientia etiã dari nequit , vt asserit Philosophus , quia ens planè contingens , quod non habet proprietates vllas necessarias , non potest sciri : singulare vt sic , huiusmodi est ; habet enim tantum proprietates

A communes & específicas : ergo non potest sciri nisi secundum proprietates illas communes .

Quartò , quod obiectum scientiæ sit æternum & incorruptibile , idest inuariabile secundum prædicata essentialia , non quoad existentiam actualem , traditur *lib. 1. posteriorum , cap. 7. & lib. 6. Ethic. cap. 3.* quia si obiectum scientiæ non sit inuariabile , scientia non erit certa & infallibilis , vnde dicitur scientiam esse de obiecto quod non potest aliter se habere .

Quintò denique obiectum illud , tametsi materialiter sit multiplex , vnum tamen quodammodo est per ordinem ad vnum obiectum formale . Cognoscitur autem vnicum illud obiectum formale , si consideratur id in quo conueniunt omnes conclusiones illius scientiæ ; obiectum enim v. g. formale Physicæ , illa est ratio , in qua conueniunt conclusiones physicæ ; est autem naturalitas : quemadmodum obiectum potentie visuæ illud est , in quo conueniunt omnes visiones ; & est visibile . Ratio est , quia illud est obiectum formale scientiæ , propter quod omnes conclusiones pertinent ad talem scientiam ; sed in quo conueniunt omnes conclusiones , & in quo connectuntur , est id propter quod illæ pertinent ad talem scientiam : ergo illud est obiectum formale scientiæ .

C Neque alia est mens eorum qui dicunt , obiectum formale adequatum certissimè cognosci , si versetur circa illud actus immediatus illius scientiæ . Vocant autem actum immediatum cuiuslibet potentie vel habitus , eum qui primò & per se elicitur à tali potentia , vel habitu : vt visio est actus immediatus potentie visuæ , quia primò & per se elicitur à tali potentia , non autem propter aliud ; visio autem albi non est actus immediatus , quia illam non eliceret nisi esset visio . Verum si queratur quodnam sit obiectum actus immediati , dicitur esse id in quo conueniunt omnes actus illius potentie vel scientiæ , & quo velut vinculo connectuntur . Rectè igitur dictum est illud esse obiectum scientiæ , in quo conueniunt omnes conclusiones illius scientiæ .

D Ad primam respondeo , non ostendi eo argumento quod de non ente habeatur scientia nisi admodum imperfecta ; perfectam autem scientiam dici , quæ cognitio est rei per causam necessariam , & necessariò coniunctam ; aliam non probari .

Ad secundam respondeo satis dictum esse quod de ente per accidens sumpto formaliter , & de illo quod vnitatem habet ordinis , datur scientia ; hoc enim duntaxat probatur in argumento proposito . De illo autem ente per accidens , quod aggregatum est fortuitò , certum est non dari scientiam .

E Ad tertiã dictum est , quod de singulari vt sic non datur scientia , sed tantum secundum rationes communes : rationalitas & singularitas sunt rationes communes , vt pater . Cum autem dixi scientiam de singularibus non dari , loquutus sum de scientia discursiua , in qua vnum cognoscitur per aliud ; non sum loquutus de scientia intuitiua , quæ cognoscitur aliquid in seipso ; illa enim dari hand dubiè potest de singularibus .

Ad quartam respondeo , scientiam esse posse de obiectis variabilibus secundum actualem existentiam , modò illa sint inuariabiles & necessariæ secundum prædicata essentialia ; quia propositiones de illis semper sunt veræ . Corpora quæ sunt obiectum Physicæ , sunt variabilia hoc posteriori modo .

Quaest. I. Sect. I. de Obiecto scientiae. 609

Ad quintam constat ex ultima parte conclusio-
nis, quomodo quodlibet obiectum scientiae sit
vnum unitate saltem aliqua ordinis; nam licet il-
la obiecta sint varia, conveniunt tamen omnia in
aliqua ratione formali sub qua, & propter quam
terminant omnes actus proprios illius scientiae.

§. III.

An, & quomodo scientia specificetur à
suis obiectis.

Specificari dicitur potentia vel scientia, quan-
do eius essentia & propria ratio specifica sumi-
tur per ordinem ad illud à quo dicitur specificari:
v. g. potentia visiva dicitur specificari ab eo per
quod constituitur in tali specie, & per quod dis-
tinguitur ab omni alia potentia. Item queritur
etiam de scientiis, quid sit illud per quod consti-
tuuntur, & per quod inuicem distinguuntur; nam
constituere alicuius rei essentiam, & distinguere
illam ab omni alio, est illam specificare.

Ratio ergo dubitandi est primò, quia illud quod
specificat aliud, debet esse illi maxime intrinse-
cum; nihil enim est magis intrinsecum rei, quam
eius essentia: sed obiecta sunt extrinseca scientiis:
ergo non specificant scientias.

Secundò id quod specificat vnam scientiam, &
illam distinguit ab alia scientia, non debet attingi
per aliam scientiam: sed diuersae scientiae saepe at-
tingunt eadem obiecta, & materialia, & forma-
lia; nam Metaphysica v. g. attingit obiecta om-
nium aliarum scientiarum, cum attingat omnem
rationem entis. Attingit etiam Deum & Angelos,
quos attingit Theologia. Da enim specialem ali-
quam rationem sub qua, vel propter quam Meta-
physica Deum consideret, quam non consideret
Theologia. Si enim dicatur quod Metaphysica
Deum considerat vt cognoscibilem naturaliter,
quem Theologia considerat vt cognoscibilem ex
lumine fidei. Contra omnino est, quia Theolo-
gia considerat etiam Deum vt autorem naturae:
ergo illum considerat vt cognoscibilem naturaliter.
Deinde Deus vt cognoscibilis supernaturaliter,
est realis aliqua ratio entis: sed nulla est ratio
entis realis, quam non consideret Metaphysica:
ergo Metaphysica Deum considerat vt cognosci-
bilem supernaturaliter: ergo idem est obiectum
formale vtriusque scientiae.

Tertiò debet sine vitioso circulo explicari quid
sit, & quid significet scibilitas, aut cognoscibili-
tas obiecti; nam illa vel significat obiectum ip-
sum, prout potest sciri aut cognosci; vel obie-
ctum ipsum prout facit scire. In neutra signifi-
catione obiectum specificat scientiam; nam obiectum
prout potest sciri, est obiectum prout supponit
scientiam, & illam includit; & sic scientia con-
stituit obiectum scibile, & ab eo constituitur.
Et similiter obiectum prout facit scire, includit
scientiam: ergo semper scientia includit obie-
ctum scibile; & obiectum scibile vt sic, includit
scientiam, quae sine dubio est petitio principij,
& circulus vitiosus.

Dico secundò nullam esse scientiam, quae spe-
cificetur ab obiecto materiali, vel etiam ab obie-
cto formali in ratione rei solitarie sumpto; sed
specificari semper ab obiecto formali tum in ra-
tione rei, tum in ratione obiecti; id est specificari
à ratione formali obiecti quae, & propter quam;
ita vt id quod vltimò specificat scientiam, sit ob-
iectum prout tali modo est scibile actiue, seu pro-

A vt facit tali modo. Ita saepe in Theologia proba-
bam contra paucos Recentiores, qui negant spe-
cificationem actuum, habituum & potentiarum
peri ab obiectis, & contendunt eam peri solum à
principiis productiuis: quod pluribus argumentis
reprobatur est.

Primò ergo, quod obiectum materialia, tum
formalia non specificent scientias, manifestum
est; quia id quod est commune multis scientiis,
non specificat scientiam: obiectum, tum mate-
riale, tum formale in ratione rei, seu ratio quae,
potest esse commune multis scientiis; nam haec
propositio v. g. *Terra est rotunda*, pertinet ad
Physicum & ad Mathematicum: *Deus vt est au-
thor naturae*, pertinet ad Metaphysicum, & ad
B Mathematicum: naturalitas, quae obiectum est
formale Physicae, cognoscitur etiam à Metaphy-
sica, quae omnem attingit rationem entis realem:
ergo scientia non specificatur per rationem mate-
rialem obiecti, nec per rationem formalem quae,
solitarie sumptam, & seorsim à ratione formali
propter quam; quae non est aliud quam scibilitas
obiecti.

Secundò enim, quod illa specificet scientiam,
manifestè probari potest. Cognoscibilitas enim,
& scibilitas obiecti nihil est aliud, quam propor-
tio rei cum potentia, secundum quam cognosci
ab ea potest, seu quam ipsa res, prout connotat
potentiam à qua cognosci & sciri potest; sicut
visibilitas est proportio coloris cum oculo, à quo
potest videri; cum enim potentia vim habeat
cognoscendi, necesse est vt obiectum habeat cum
ea proportionem secundum quam possit cog-
nosci.

Duplex autem est illa cognoscibilitas, alia
actiua, alia passiva. Actiua, quam alij appellant
causalem & fundamentalem, est ipsum obiectum
prout facit potentiam cognoscere; nam obiectum
est verè causa cognitionis, ad quam producen-
dam concurrat simul cum potentia, vel habitu.
Sicut species impressae dicuntur intelligibiles &
visibiles, eo quod faciant intelligere ac videre;
similiter enim obiectum dicitur scibile, eo quod
faciat scire; dicitur cognoscibile, eo quod faciat
D cognoscere. Cognoscibilitas verò passiva, siue
formalis, denominatio est à potentia, per quam
cognosci potest. Hoc posito dixi, scientiam spe-
cificari ab obiecto vt scibili, seu ab obiecto in ra-
tione talis obiecti; non autem vt res quaedam est.

Probatur, quia certum est scientiam specificari
ab eo à quo specificatur actus; sed actus scientiae
specificatur ab obiecto formali: ergo ab eo etiam
specificatur scientia. Maior nota est; nam habitus
definitur & denominatur per ipsos actus eodem
modo, quo materia definitur & denominatur per
ordinem ad formam: ergo habitus specificatur ab
ipso actu. Quæro enim, à quo alio habitu imme-
diatè possit specificari? Si dicas specificari à prin-
cipio productiuo, certè specificatur per actum qui
est eius principium. Deinde ab eo specificatur, ad
quod transcendentaliter refertur: refertur autem
essentialiter ad actum, sine quo nec intelligi, nec
definiri, nec distingui potest à quolibet alio.

Quod autem actus specificetur ab obiecto for-
mali, probatur; non enim specificatur à prin-
cipio productiuo; nam eadem potentia, & idem
habitus produciunt actus specie diuersos: eadem
Physica demonstrationes habet de cælo, & de-
monstrationes de anima hominis: eadem poten-
tia visiva videt album & nigrum; visiones autem
illae specie differunt: ergo illi actus non specifi-
cantur

Prima du-
bitatio.

Secunda.

Tertia.

Prima
pars.

Secunda
pars.
scibilitas
quid sit.

Quotuplex
sit.

Probatio
assertionis.

cantur à principio per quod producuntur. Imò habitus, vt dixi, specificatur per actum: ergo non specificat actum. Deinde certum est aliquos actus specificari ab obiecto: ergo omnes ab eo specificantur; non enim maior est ratio vnius, quàm alterius. Probo antecedens; nam actus fidei, & actus opinionis ac scientiæ, ab eodem producuntur intellectu, à quo non specificantur, neque possunt differre nisi quia fides nititur autoritate, opinio medio coniecturali, scientia motiuo certo. Eadem voluntas & sperat & amat eundem Deum. Diuersitas spei & amoris peti non potest nisi à motiuis: ergo certum est aliquos actus specificari à motiuis. Deinde actus intellectus & voluntatis differunt specie: non differunt propter principia; nam intellectus & voluntas non differunt ab anima, vt probabo infra. Imò intellectus & voluntas si differunt ab anima, & inter se realiter, emanant ab eadem anima; vnde non possunt ab ea specificari: ergo specificantur per actus & obiecta. Denique species impressæ obiectorum differunt essentialiter inter se per obiecta quæ representant, etiam si ab illis non producuntur; species enim albi & nigri non differunt nisi per ordinem ad diuersa obiecta: sed eadem ratio, quæ probat species impressas differre inter se per obiecta, probat etiam species expressas, siue actus intellectus & sensuum, imò & actus quoslibet differre per obiecta: ergo actus quilibet differunt inter se, & specificantur per obiecta. Sed hæc alibi fusiùs.

Solutio primæ difficultatis.

Ad primam distinguitur maior. Id quod specificat aliud, debet esse illi intrinsecum; si specificet per modum formæ inherētis, concedo; si specificet per modum termini, nego. Quando dicitur quod obiectum specificat actum & habitum, significatur quod obiectum est terminus illius ordinis, qui est intrinseca essentia ipsius actus, vel habitus; ordo igitur intrinsecus est, obiectum verò est extrinsecum, quatenus terminat talem ordinem.

Solutio secundæ.

Ad secundam respondeo concedendo, quod diuersæ scientiæ possunt attingere eadem obiecta, etiam formalia materialiter, & in ratione rei: sed nego quod possint attingere illa vt obiecta formalia, seu in ratione obiecti: v.g. certum est quod intellectus cognoscit colorem esse visibilem, Deum esse amabilem; quod voluntas amat obiectum vt est verum: sed intellectus non cognoscit colorem visibilem vt visibilem, neque Deum amabilem vt amabilem; cognoscit enim colorem visibilem, & Deum amabilem, & alia omnia prout intelligibilia: voluntas amat obiectum vt est verum sub ratione amabilis. Similiter ergo Metaphysica cognoscit obiecta omnia reliquarum scientiarum sub ratione entis, prout abstrahit à materia. Considerat Deum autorem naturæ, prout euidenter cognoscibilem ex solo lumine rationis naturalis, quem Theologia cognoscit vt cognoscibilem ex lumine fidei obscuro, saltem remotè, quatenus supponit principia fidei, ex quibus discutrit; cognoscit enim Deum esse autorem naturæ sub eo lumine fidei, quem Metaphysica cognoscit vt cognoscibilem sub lumine solo rationis. Deus itaque vt cognoscibilis supernaturaliter est aliqua ratio entis, quam Metaphysica sub ratione pura entis cognoscit, non autem sub ratione cognoscibilitatis supernaturalis.

Solutio tertiæ.

Ad tertiam respondeo scibilitatem & cognoscibilitatem obiectorum explicari optimè posse sine vilo vitioso circulo, sicut species impressæ intelligibiles aut visibiles sine vilo huiusmodi circulo explicantur. Nam species dicitur intelligibilis eo

quod faciat intelligere; & obiectum dicitur scibile, quia facit scire; vbi nullus est circulus, quia scientia & obiectum diuerso modo se includunt, cum obiectum formale includat scientiam, tanquam id quod specificat; scientia verò includat obiectum tanquam id à quo specificatur. Sicut causa vt causa semper includit effectum, & ab eo includitur sub diuerso conceptu; causa enim includit defectum prout eum causat, & effectus includit causam pro vt ab ea causatur. Quod etiam in omni relatione verum est: pater dicit filium, & filius patrem.

SECTIO II.

De actu scientiæ generatim.

Post explicatum obiectum habitus scientiæ, sequitur actus, quem dixi specificari ab obiecto, & specificare habitum. Possent autem hoc loco tradi omnia, quæ in Logica tradi solent de premissis & conclusionibus demonstrationis, quam constat esse scientiam actualem: sed iis in eorum locum reiectis, satis erit de hoc actu dicere. Primò, an, & quomodo esse ille debeat certus & euidentis: secundò, vtrum possit idem actus scientiæ simul esse actus fidei & opinionis: tertio, vtrum saltem possit in eodem intellectu esse actus scientiæ cum actu fidei & opinionis de eodem obiecto.

§. I.

An, & quomodo actus scientiæ debeat esse certus & euidentis.

Certum est primò, nullam esse scientiam, cuius actus certus non sit certitudine formali, tum essentiali, seu ex parte obiecti; tum accidentaliter, seu ex parte subiecti. Certitudo enim alia est formalis, alia obiectiua. Formalis est cognitio intellectus ita vera vt non possit esse falsa: obiectiua est obiectum prout necessarium omnino & infallibile, siue necessitas ipsius obiecti. Deinde certitudo formalis alia est essentialis, quæ vocatur ex parte obiecti, & est cognitio, cuius obiectum est necessarium: alia est accidentaliter, seu ex parte subiecti, & est firma adhesio intellectus ad aliquod obiectum sine formidine oppositi. Vtrumque illam certitudinem esse in quolibet actu scientiæ, notum est; essentialem quidem, quia scientia obiectum habet necessarium, alioqui scientia posset esse falsa; accidentalem autem, quia intellectus sciendo assentitur obiectis sine vlla formidine: ergo scientia in suis actibus habet certitudinem ex parte subiecti.

Certum est secundò, scientiam, saltem partem naturalem, habere actus non solum certos, sed etiam euidentes. Euidencia verò non est aliud quàm veritas alicuius rei, cui non potest intellectus dissentiri. Potest autem dici duplex. Prima obiectiua, quæ est obiectum, quod ita ostenditur intellectui, vt non possit ei dissentiri. Secunda formalis, quæ est actus intellectus circa obiectum, cui non potest intellectus dissentiri. Differt ergo certitudo ab euidencia, quod certitudo actus sit ita verus, vt non possit esse falsus; euidencia verò sit actus circa obiectum, cui non potest intellectus dissentiri. In fide diuina certitudo est sine vlla euidencia, nullus autem esse potest actus euidentis, qui non sit etiam certus. Cum autem scientia differat à fide, debet actus scientiæ habere non solum certitudinem,